



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Recipients Sacramenta ab hæreticis, quinam sunt excusati. tit. 85

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

specialem habent fidem & opinionem de sacramen-
to. Ille dicit esse merum panem & vinum, Alter signū
& figuram corporis Christi, hic negat diuinitatem,
hic in pane sanguinem & è diuerso. Sic Hermogildus
filius regis occiditur in carcere, quoniā cum Arria-
nis noluit communicare &c. Audire ergò nos debe-
mus Ecclesiam catholicam, Matt. 18. ergo differentia
est inter catholicum sacerdotem & sectarium, & fidē
& doctrinā &c. Lutherani negant transsubstantiatio-
nem, & dicunt post consecrationem manere panem
& vinum. sed quid tunc aliud sunt, nisi paniuori?

RECIPIENTES SACRAMEN-

*ta ab hereticis, quinam sunt ex-
cusari.*

TITVLVS LXXXV.



Ria sunt notanda: Primum, quod offi-
cium prælatorū Ecclesiæ sit, denuncia-
re Ecclesiæ falsos doctores & doctrinā,
iuxta illud Mat. 18. Dic Ecclesiæ. Subin-
dè, quòd duplex est genus hominum.

Aliqui sciēter adherent denunciatis hereticis Eccle-
siæ, & illorum sacra approbant, & cum volūtate bla-
spemant orthodoxam communionem & doctrinā.
Postremò, quòd tales qui sciunt condemnaram esse
hæresim, attamen adhuc ex odio in clerum pergunt:
illi nō sunt excusati, & recipiunt sacramenta sine fru-
ctu & vtilitate, sicut vanam medicinam.

Primò habet Ecclesia præceptum i. Ioan. 4. vt pro-
bet spiritus, & Act. 20. iubet Paulus Episcopos at-
tendere populo, quoniā futuri iunt lupi rapaces &c.
Idèò prælatorum Ecclesiæ officium est, Papæ & Im-
peratoris, auisare seu præmonere populū, id quod fa-
ctum est per Papam & Imperatorem in suis bullis,
Quibus

Q9

quibus sub pœna excommunicationis & priuationis bonorum omnium minantur, &c. vti in illorum libris. Ne igitur quis dicat, simplex sum, ignoro quis hæreticus, necne. Ideo officium est prælatorum prædicatorum, hoc denunciare populo, vt iuxta Pauli doctrinam, Tit. 3. hæreticus homo vitetur.

Secundò, post talem denunciationem aliqui obediunt, aliqui ignorant diuulgationem, aliqui contemnunt. Illi ergo qui scienter pergunt in secta, duplo peccant, quia contemnunt obedientiam superiorum, Romanorum 13. subindè, quia sine fructu & vtilitate recipiunt sacramenta, sicut testatur Augustinus in multis locis, propter labem schismatis. Inquit Christus Matth. 5. vade prius reconciliari fratri tuo. Non igitur tales excusati sunt coram Deo, satis enim quotidie scribitur & prædicatur contra sectas: nemo se excusare potest de ignorantia, audire testamur Ecclesiam catholicam.

At dices, cogit me necessitas, quia cohabitatio illis, & est potestas, quæ me sic compellit, quid faciam? Respondeo, quid fecit Daniel, Daniel. 3. quando adorare compellebatur statuam? quid omnes sancti martyres, & Apostoli Act. 5. qui dixerunt: Magis oportet obedire Deo &c? sic te resistere oportet, & consentire. At inquires: Cur me odio grauem? Eadem sunt sacramenta, eucharistia, baptismus, apud illos sicut apud nos? Respondeo, non est autem hic vnitas sine qua charitate & vnitate nullum opus Deo placeat, nec sacramentum efficax est, 1. Corin. 13. Vade reconciliari fratri tuo. Plus enim vnitas est, quam sacramentum, vt habito sacramento necessitatis, id est, baptismo, potius carere volo omnibus sacramentis cæteris quam vnitate, sine vnitate nemo saluatur Galat. 5. Deus nouit qui sunt eius. Ille te sustentat Tyranni cogentes peccant, & tale eos expectat premium, sicut Domitianum, Neronem, &c.

Terrib

Tertiò, fructus non adhærentiũ illis, est salus æter-
na, iuxta illud Mat. 24. Beati qui perseverauerint vl-
que in finem. Subindè, efficax virtus sacramentorum.
Ideo magna differentia est inter fidem, quæ intra Ec-
clesiam est in Christum, & quæ extra Ecclesiam, vt di-
cit Augustin. Epistola 48. Multi retinentur apud se-
ctam, quòd putant nihil interesse, vbi Christi fides &
nomen tenetur, siue intra siue extra Ecclesiã, sed hoc
falsum est. Nam Paul. 1. Cor. 13. fidem sine dilectione
nihil prodesse asserit. Scientes igitur non sunt excu-
sati, Nescientes Deo committit Ecclesia, & constan-
tes coronabuntur. Plus ergo respicias Deum & sa-
lutem animæ tuæ, quàm homines, &cæt. Nulla pote-
stas ligat in ijs quæ contra Deum sunt: sed ab vnitate
Ecclesiæ recedere, est contra Deum. Ideo nemo hinc
obedire tenetur.

SECTARIVS SACERDOS

quis sit.

TITVLVS LXXXVI.

SERIA sunt noranda. Primò, quis sit se-
ctarius sacerdos: Secundò, cur fugi-
endus à catholico: Tertiò, fructus il-
lius.

Primò, Apostolus prædixit exorturas
sectas varias, 2. ad Tim. vlt & quamlibet sectã sibi eli-
gere Magistros, Doctores, sacerdotes ad sua desideria
id est, qui conceptam sectam doceant & defendant,
sicut Lutherani suos habent magistros, Zuingliani
suos, Anabaptistæ suos, Osiandristæ, Illyricani &cæt.
Sic Ieroboam permisit, vt quicumque vellet prædica-
re erectos vitulos &cæt. & illorum cultum, is esset sa-
cerdos, 3. Reg. 13. & quoniam illi omnes declinant, &
scindunt se ab vnitate Ecclesiæ catholicæ in doctri-
na fidei & vsu sacramentorum ac ceremoniarum &c.
tamò blasphemant totam Ecclesiam catholicam,

Q9 2 &c. idcò